



Kem 491 (1-11)

D I S S E R T A T I O N I S
DE
CONSTITVTIONE
E P I D E M I C A
HALAE AD SALAM
INQVE EIVS CONFINIIS AN. 1771. 72. OBSERVATA
PRIOREM SECTIONEM

PRAESES
D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO

FACVLT. MED. SENIORE ET H. T. DECANO

ETC.

PRO GRADU DOCTORIS
LEGITIME IMPETRANDO
D. XVII. FEBR. CICICCLXXII.

PUBLICE DEFENDET

AVCTOR

F R A N C I S C V S H E R W A R T H
A. A. L. L. ET PHILOSOPHIAE MAGISTER
NISSA-SILESIUS.

HALAE MAGDEBURGICAE
LITTERIS HENDELIANIS.



V I R O
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
DOCTISSIMOQVE
D O M I N O
D. FRANCISCO GOLTZ
POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI
A CONSIL. AVLIC. PHYSICO PROVINCIALI
ET
THERMARVM LANDECKENSIVM ORDINARIO
PRACTICO FELICISSIMO FAMIGERATISSIMO
F A V T O R I M E O
AETERNVM PIE DEVENERANDO



B A V A T O R I M E O

A E T T U N A H A S D E V A M E R A N D O

S I M O N E C O M M E M O R A L I A
I N D I C A T O R I A

S I M O N E C O M M E M O R A L I A
I N D I C A T O R I A

D I F F E R E N T I A
D O C T R I N A Q U E
D O M I N I O
D I F R A N C I S C O G O L T Y

A C O N S I L I U M P R I M O T R O V A M C A L I
L O T T U T I S M I D O R I S S O R I A N I E C I

I T

I T T R A S T E T A L T X C E I L E B N T I S S I M O

A I T R O

Ex quo TIBI, VIR ILLVSTRIS,
auspicato innotui, tot tantaque TVAE
in me immerentem benevolentiae signa
cumulaſti, vt ingratissimi animi notam
effugere vix possem, ni TIBI, data
quacunque occasione, obſtrictiſſimam
meam mentem declararem. Quod qui-
dem vt palam fiat, has leuidenses TI-
BI academicas plagulas inscribo, nullus
dubitans, fore, vt illas, pro eo, quo me
proſequeris, amore beneuole accipias.
Supplex ſumnum imploro Numen, velit

TE TVOSQUE SOSPITES SALUOSQUE QUAM
DIUTISSIME CONSERUARE! QUOD VERO RESTAT,
TVAE BENEVOLENTELIAE TVOQUE FAUORI
NUMQUAM NON COMMENDATISSIMUM HABEAS
VELIM.

NOMINIS TVI

FRANCISCVM HERWARTH.





§. I.

Constitutio aëris atque regiminis et diaetae incol.

Ex aliquot annis humiditas multa, terrae inundatio frequens, anni tempora a sua plerumque natura recedentia obseruata sunt. Hiems anno 1770. 7i. mitis fuit, paene vernalis quandoque, humida; ver, quod eam insequebatur, paullo exstinctus frigidius, humidum; nix plurima delapsa est; labente Junio aqua terram inundare visa est; aestas humida, frigida fuit; inundatio noua; autumnus sub sui initium mitissimus, calidus, serenus, nebulas deinfat densas, pluuias non parcas, frigora leuia, inaequalia, inconstantia adduxit, sicque in hiemem degenerauit, mitem eam, licet

maio-

maiora quandoque frigora intercurrant, humidamque, regnante
interea mutabili incertaque tempestate. Paene toto anno aut afri-
cūs, aut libī spirauit. Non defuere anniuersarii venti, cum ver-
nales, tum autumnales, in procellas passim mutati. Autumna-
les venti atque etiam per hiemem obseruati, passim sat rigidi ex-
stitere. Pomorum, prunorum, similium insignem terra copiam
genuit; at caritas annonae incolas cum pressit, tum etiamnum
premit. Secale inundatio terrae passim corruptit atque largior cor-
nuti fecalis copia; triticum bonum; hordeum vero lolium temu-
lentum inquinat. Atque tamen incolarum non pauci, caritate an-
nonae coacti, pani pulibusque suis cum crassissimos furfures, tum
farinam, ex hordeo confectam paratamque, admiscent. Denique
ruricolae, terrae inundatione praepediti, serius paullo agrorum
curam gesserunt.

§. II.

Morbi frequentius obseruati.

Circa anni praecedentis initia, vere, magnaue aestatis
parte, non insueti obserabantur morbi, variolae, scarlatina pa-
sim, affectus catarrhales, rheumatismi. Progrediente autem ae-
state, autumno porro et hieme, post pauca dysenteriae inter ruri-
colas exempla, febres intermittentes tertianae, quartanae, simpli-
ces, duplices, continuae et semitertianae C E L S I (Liber. III. cap. 3),
plebeii maxime atque ruricoli familiares, suum extulerunt caput,
quae, pertinaces valde, curae maxime resistunt, tumoribus
simul oedematosis frequentissime stipatae. Febris istis mense

Nouem-

Nouembri accessit alia eademque continua putrida, quae simplex quandoque, alias vero, ob iunctam scilicet inflammationem, composita existit. Eam continuo accuratius depingam. Nulli autem aetati, nulli sexui parcit, vt tamen in pagis frequentius occurrat, hisque magis familiaris sit, qui aëri epidemico præ caeteris sese exponunt, maloque regimine vtuntur. Caeterum, vigente hac constitutione, leuiores quibusdam narium partiumque adiacentium excoriationes, cum pustulis quandoque labiorum, contingunt, huc omnino referendae, quando litteris relatum accepimus, simile quid accidisse pluribus incolis urbium, quas eadem epidemia tentat. In his, qui pultes, e farina hordeacea confectas, assumere, catalepsis et vertigines obseruabantur. Conuulsioneis autem cerealis aut gangraenae epidemicae, in tanta licet fecalis cornuti copia, ne vilum exstitit exemplum.

Descriptio febris continuae putridae, epidemice graffantis.

Omnes autem, quos dixi morbos, febris ista continua putrida cum dignitate, tum periculo antecellit; cuius itaque naturam atque historiam, quantum ea ex *illustris et venerandi BOEHMERI* obseruatis constare potest, delineabo. Morbus subito aegros corripit. Sub eius ingressum de subitanea virium prostratione deque frigore, plerumque valido et ad tres quatuorue horas extenso, conqueruntur. Neque tamen frigus id reliquas, quae primam inseguuntur, accessiones comitari solet, nisi forte istam huc, quae purpurae sollemnitas est, horripilationem referre

B

velis.

velis. Excipit frigus calor, qui, pro subiectorum ratione, maior minorue existit; plerumque autem, vesperascente die incipiens, ad quartam usque horam matutinam siccus perdurat, quo tempore, cum remissione febris, lenis in cute mador erumpit, quem vero febris a meridie reditus in fugam agit. *Pulsus* quandoque, atque id malo omne, sanus est; plerumque autem febrilis deprehenditur et debilis, alias durus et suppressus, quandoque inaequalis et intermittens. Plurimis vehementissimae statim adsunt *cephalalgiae*, totum quidem caput, maxime vero synciput et occiput aggredientes. His iungitur *vertiginosus affectus*, lapsus mentis adeo viuide excitans, ut caput artusque tremulo agitantur motu, atque aegri, plus saepe vice simplici, exclament: *sustinet me, ne lecto excidam.* Longe quoque maximo aegrorum numero *deliria* contingunt, quibus capti lecto quandoque exsiliunt frigorique sese exponunt. Vnus ex his in luto se prouoluisse visus est. Neque ista tamen omnibus, licet plerisque, in principio morbi adsunt; in quibusdam die demum sexto atque etiam serius comparere obseruantur. Pertinaciter autem passim, interdiu et noctu, intercurrentibus vix ullis lucidis interuallis, aegros affligunt, ut etiam a sexto ad decimum septimum, aque undecimo ad vigesimum quartum diem durauerint. *Convulsiones* rarius in conspectum prodeunt; *subsultus* tamen *tendinum* sat frequenter adsunt. Deliriosis quibusdam *risus sardonius* contingit. Neque deest plane rerum omnium *obliuio*. Frequenter quoque cum *coma somnolentum*, tum *insensilitas* incidit. *Oculorum et faciei rubedo*

.cliov

in

in deliris, plethoricis praefto est; sunt, qui de *caligine* conqueruntur; aures *furditas* occupat; nares largissime passim, ad mensuram etiam, sanguinem dimittunt, neque vero *haemorrhagia* ista *narium* omnibus salutaris existit, omnium minime his, in quibus serosus sanguis excrenitur; lingua *tenaci copiosoque muco obducta*, alias vero *nigra* cum labiis esse cernitur; *sitis* quandoque sat magna existit, interdum autem deficit; accedunt non raro *aphonia*, *affectus anginoidei*, tumores colli, *respiratio celeris et frequens*, *tussis sicca*, quandoque *bumida*, *anxietas praecordiorum*, *animi deliquia*. Langue *appetitus*. Furibundis *nauseae*, *vomituritiones* cum *sensu amaritiae in ore* contingunt. Quibusdam alius pertinacissime clausa est, hancque *alui obstruktionem* comitatur *continuus ad aluum vrinamque stimulus*; in aliis die quarto, octavo, undecimo *diarrhoeae foetidae* frequentissime accedunt, iungitur tamen nonnumquam *involuntaria foccum vrinaeque excretio*, vnde *sphacelus* quandoque in *erosa* *cute* productus est. Neque is status, intra breue semper tempus, sese subducit; vidit enim *illustris BOEHMERVS* aegrum delirum, quem squalida istiusmodi involuntaria excretio, inde ab undecimo ad vigesimum usque secundum diem, tenuit, sanitati nihilo minus restitutum. In sequiore sexu *menstrua* quandoque citius, quam par est, recurrunt, at parciora et serosiora, loturae instar carnis. His abdomen dolet, caput autem moderatus tentatur. Ambae, in quibus id obseruatum, vi morbi superatae occubuere. *Vrina* aestui caeterisque morbi conditionibus respondet, satisque differens conspicitur;

pallida; citrina cum nubecula; aurantii coloris; turbida; hy-
 postatica cum cuticula coerulescente et sedimine largo, pallide
 roseo; foetida. Quandoque vrina, tertio demum septenario, co-
 etionis signa dedit. In quibusdam, quos, post toleratas cepha-
 lalgias insignes, conuulsio et insequens apoplexia, die aut septi-
 mo aut nono, iugulauit, pallidior vrina, cum hypostasi mucida,
 ex albo flava, et cuticula coerulescente, vitro adhaerente et vri-
 nae supernatante, obseruata est. Nec omnibus, nec plurimis
 exanthema quoddam erumpit. Quibus vero nullum contingit,
 his morbus acriticus existit, atque ultra tertium septenarium pro-
 trahitur; quo elapsō per lysin demum integre solutus esse de-
 prehenditur. Quae autem exanthemata prodeunt, plerumque
 vel purpuracea sunt, eaque cum *alba*, tum *rubra*, vel *petechia-*
lia. Quandoque *papulae* quaedam *circa labia* efflorescunt, quod
 vero exanthema plerumque imperfectum est. Eruptionis tempus
 sat diuersum obseruatur. In his, qui pessime decumbunt, prae-
 uiis deliriis, cito quidem, die nempe quarto, petechiae prodeunt,
 atque in pectore manibusque erumpunt, quae vero instabiles sunt,
 vt, vix nycthemeri spatio elapsō, dispareant, atque etiam, re-
 deuentes quandoque die nono, post paucas tamen horas interiectas,
 iterum euanescant. Qui petechiis correpti elabuntur, his crisiis
 nulla contingit, verum morbus, vt in his, quorum cuti nullum
 innascitur exanthema, acritice, elapsō tercio septenario, integre
 soluitur. In quibusdam purpura, post nonum demum diem praec-
 terlapsum, erumpit; hos iudicat, tertio septenario ad finem vergen-
 te,

te, largissimus et criticus sudor. Mitiore morbo detentis purpura rubra eaque imperfecta contingit. Observatur caeterum, quod, quae prodeunt exanthemata, aegris leuamen afferant; dolores maxime, nullis paene remedii cedentes, cum capit is, tum rheumaticos (qui purpurae imprimis eruptionem praecedunt), incantamenti instar, in fugam agunt. *Sudores*, qui vigente morbo prodeunt, moderati sunt, proque exanthematum ratione varii; vappidi et acido dulces in purpura rubra, foetidi autem in his, quibus purpura alba et petechiae efflorescunt. *Sanguis excretus* copioso plerumque sero scateret. Neque vero in quibusdam corium pleuriticum deficit, cui grumosus et niger sanguis adhaeret. Atque in his morbus febris inflammatoriae, *anginae maxime et pleuritidis*, scenam ludit. Quodsi tunc obuiam inflammationi itur: soluitur quidem ea sat cito, restituantibus tamen signis istius, quam descripsi, febris. Quandoque sponte sic mutatur morbus, idque primis statim diebus. Quos trucidat vis morbi, ocyus serius *convulsionibus et apoplexia correpti*, subito moriuntur, die septimo, nono, undecimo, decimo tertio. In vado sunt, qui hunc diem superant, ni insoliti quid accidat. Plurimi tarde, sensim redeunte appetitu, pristinam recuperant sanitatem. Adiuuat eius redditum *somnus*, paulo diutius *protractus*, in quem, tertio septenario elapso, incident. In quibusdam, vel decumbentibus adhuc, *tumores pedum oedematosi* cum *habitu cacheoticо* obseruantur, qui vero sensim euaneantur. Neque etiam reconualescentes circa vesperam ab omni *febre* liberi esse deprehenduntur. Caete-

rum longe plurimi aegrorum, e mortis faucibus erepti, sanitati restituti sunt. Raro etiam contingit, vt aegri, vi solius morbi superati, occumbant. Status valetudinarius praegressus, mala mendendi methodus, damnosa denique plebeiorum hominum consuetudo, qua, re paene ad incitas reducta, medici demum auxilium implorant, plurimos interimunt. Quod quidem tanto veritati magis consentaneum statui oportet, quanto magis exploratum est, aegros cum sanitate, vel terrificis symptomatibus prodeuntibus, risu sardonio, aphoniam, inuoluntaria foecum vrinaeque excretione, similibus, in gratiam rediisse. Atque licet omnino virium summa prostratio, insensilitas, pulsus sanus, vrinaque, ad sanam maxime accedens, iustum queant terrorem incutere; non omnem tamen nos salutis tunc spem abiucere oportet. Quod denique ad auxilia spectat, quibus usus est illustris et venerandus BOEHMENS, ista quidem maxime ad acida, antisepica, vesicatoria, camphorata, clysteres emollientes redeunt. Quandoque, in his nempe, quibus supra descriptae vomituritiones contigere, tintura rhei usus est. In principio morbi, si res id postulare videbatur, venae sectionem adhibuit; serius autem vocatus eam omisit. Emeticis usus est nunquam. Diarrhoeae excedenti cascarillam et radicem serpentariae virginianaee opposuit, et in incipiente statu conualescentiae cortice peruvianano tonum restituit. Verum de his omnibus, in altera sectione, fusius differendum erit. Nunc de natura morbi nonnulla addenda supersunt.

§. IV.

§. IV.

C o n f e t t a r i a .

I. Febris haec a quibusdam dicta est *continua putrida s. continua remittens putrida*. Atque de *continuitate eius*, cum horis matutinis manifesto remittit, dubitari nequit. Quod vero ad *putridam eius indolem* spectat: oportet nos eam, in tanta sententiarum de *putredine* varietate, accuratori examini subiicere. Monuit v. S W I E T E N (Commentar. Tom. II. ad §. 730), *putredinis nomine in febribus non intellexisse veteres medicos* *talem corruptionem*, *quae in cadaveribus sponte nasci obseruatur, sed tantum insignem degenerationem humorum a conditionibus suis naturalibus*. Cui notio, quam certe BOERHAAVIUS aliique praestantissimi viri amplectuntur (S C H R O E D E R Diff. de febrium putridar. different. Goett. 1768), si adstipulari velis: de *putrida* *descriptae febris indole* dubium supererit nullum. Quodsi vero ea voce singularem istam, *quae chemicis atque physicis putredinis nomine proprie* *venit, humorum corruptionem intellectam velis: quibusdam quidem* aegris, his nempe, qui excrementa alui, vrinae, cutis foetidissima eiiciebant, *putrida continua febris inexstitit; neque tamen omnibus, cum multi omnino occurrant, quorum nec euacuatus san-* guis, nec vrina, nec excrementa alui, nec saliuia, nec aër exspiratus signa *putredinis verae produnt atque manifestant*. Placuit de- nique nonnullis, *putridum morbum nominare eum, quem vel vera putredo comitatur, vel dispositio ea humorum, quae ad conci- piendam putredinem maxime proliuis existit* (S C H R O E D E R l. c.).

Ne-

16
Neque, eo significatu admisso, qui maximum, ex mea sententia,
plausum meretur, putrida epidemicae febris natura poterit in du-
biū vocari. Quando enim materia, e qua gignitur, toties ve-
ram putredinem excitat: nonne nos statuere oportet, eam ideo hu-
moribus dispositionem summam, ad concipiendam putredinem, in-
ducere? Non inepte SCHROEDERVS (l. c. §. III.) putridi mor-
bi putridaeque febris phaenomena praecipua collegit, quae, ut fa-
cilius ad epidemicam istam febrem referri possint, adducere lice-
bit. *Characteres*, inquit, *putridi morbi sunt: magna virium*
prostratio, tanta saepe, ut minimum etiam motum animi sequan-
tur deliquia; animi vehementis deiectionis; pulsus iusto debilior;
hu-
morum nimia tenuitas; faciles saepe et spontaneae haemorrhagiae,
ex locis etiam insuetis prouenientes; maculae figura et colore va-
riæ, rubicundæ nimirum, fuscae, vel liuidæ; oculorum imminu-
ta viuacitas; lingua fusca, liuida, vel nigra; spiritus et sudor
foetidus; vrina nonnumquam tenuis, minus pro caloris ratione
tincta, ut plurimum turbida, crassa et mox foetens; auctus et pu-
tridus alii excrementorum foetor et in liuidum mutatus color.
Signis putridae febris annumerantur haec: *calor mordax, tactum*
laedens et omni momento quasi adauetus; pulsus celerior et inor-
dinatus; virium summa prostratio cum animi deiectione; capitis
dolor aliquis cum sensuum perturbatione; oculorum imminutus
splendor, saepe cum rubore aliquo, sic, ut inflammati videantur;
lingua in initio morbi subalbida, dein autem nigra et arida, fau-
cibus simul et dentibus foeda sorde tectis; anima foetida; sapor

ad.

aduersus quasi a rebus putridis; sudores foetidi et in ulteriore morbi progressu sanguine nonnumquam tinteti; cutis in incremento morbi haud raro arida est; aliquando nimia est ad sudores pronitas; urina varia, crassa, turbida, immo nigrescens, interdum quoque pallidior, cruda, vel cum sedimento fuligineo; deiectione foetidissima, subuiridis, liuida, interdum nigra et sanguine tincta; maculae rubicundae vel liuidae, petechiae, vibices, non eleuatae, nec umquam forte criticae; hae post mortem interdum erumpunt demum; sitis ut plurimum moderata; haemorrhagiae spontaneae, et facile ultra omnem modum vebementes; crux minus cibaeiens et, in ulteriore morbi progressu, omnino saepe dissolutus; serum rubicundum, saepe sanguinolentum; crusta interdum quidem obductus est sanguis, at tenui et infirma, transparente et saepe variegata; tumere etiam solet in vebementiore morbo abdomen, ab aere in eius canitatem per putredinem expedito, quem statim meteoris nuncupare solent. Quibus ita constitutis, paret, febrem epidemice iam grassantem putridis omnino subesse. Licet enim nonnulla, quae SCHROEDERVS commemorat phaenomena, in eam nondum cadere obseruata sint: attamen memores nos esse oportet, cum gradualis morborum differentiae, tum mutationis morborum, quam compositio inducit. Sufficit multa praecipuaque febrium putridarum phaenomena obseruari.

2. Si cui placuerit, neruofas febres a reliquis febrium species bus discernere, easdemque dicere febres, quas insolita multaque neruorum virtus comitantur: febris epidemica, quam diximus, pu-

C

tri-

tridis neruosis omnino adnumerari potest. Docent id deliria, affectus verriginosi, aphonia, inuoluntaria alui vrinaeque excretio, pulsus debilis, inaequalis, surditas et plura alia. Confer. H V X-
H A M I oper. phys. med. Tom. II. cap. 7. *H o m e medic.* Beobacht.
und Versuche, Seit. I. V O G E L Dissert. de febre neruosa eiusque
genuina indole, Goett. 1767.

3. *Malignitatis* ista febris notam effugere nequit, quamcumque etiam morbi maligni notionem amplecti tibi placuerit.

4. Ridicula est eorum opinio , qui asserunt, non differre, epidemicam hancce febrem, a suetis continua putridis febribus, quae vere alias , maxime vero autumno incidere solent. Plura certe sunt, per quae ab his differt, qualia sunt: mirus iste capitis vertiginosus affectus, inuoluntaria foecum et vrinae excretio etc. Ut ergo quam optimie sic latum a S Y D E N H A M O de morbis epidemis iudicium (Oper. Sect. I. cap. 2) confirmetur.

5. Febres putridae, quae epidemice grassantur, *gastricae* sunt, *intestinales*, *sanguineae*, pro diuersa nempe eius, quae sanguinem corrumpit, materiae origine. Atqui plurimi forte nostrae aetatis medici, qui , nouis rebus nimium inhiantes, vbique paene labefactatas vident primas vias, non dubitabunt procul dubio, epidemicam nostram febrem aut gastricis, aut intestinalibus adnumerare, tantoque id magis, quanto propius ad istarum febrium natum phaenomena commemorata accedunt , quantoque possunt magis diaetae vitia vrgere (§. I.). Quodsi tamen, quod res est, dicendum: ausim ego affirmare, sanguineas potius esse, quam gastricas.

cas

cas, aut intestinales, licet nolim primas vias plane immunes habere. Atque plura omnino isti sententiae fuent. Namque 1. examthemata sic erumpunt, ut aegrum alleuent, quod certe neque in gastricas, neque in intestinales cadit. Vid. STRACK *de morbo cum petechiis*; 2. desunt signa, quae putridae materiei turgorem primis in viis indicant; 3. nec emeticis, nec purgantibus vsus est *illustris BOEHMERVS*, aegros tamen sanitati restituit; 4. diarrhoeae spontaneae leuamen attulere nullum; 5. laxantia, in principio usurpata, impedire non potuere progressum febris, suis stipatae symptomatibus. Videtur itaque febris ista sanguinis corruptio- ni magis, quam impuritatibus, primis in viis collectis, natales suos debere, sic, ut quae contingunt harum partium vitia, symptomatice tantum occurrant, *vel* sanguinis singulari corruptioni, *vel* malae diaetae, febris epidemiam praegressae, *vel* aegrorum proprietatis adscribenda.

6. Cuinam causae febris ista debetur? Aëris certe constituti-
tioni magis, quam diaetae incongruae (§. I.). Solent enim hi,
qui aëri liberius frequentiusque sese expouunt, malo simul obser-
uato regimine, neglectaque imprimis perspiratione, febrem istam
concipere, licet diaeta sat bona vtantur. Sine dubio hinc factum,
ut ruricolas ista epidemia magis, quam alios tentauerit, vtque in
locis humidioribus malignius grassata sit. Forte quoque illis no-
cuit senior agrorum cura habita (§. I.). Videtur ergo cuiilibet cau-
sae (§. I.) definitus morbus respondere. *Craffa diaeta* febres in-
termittentes, *lolum tremulentum* vertiginosos effectus, aër deni-

que *epidemice constitutus* continua*m* istam febrem generat. Neque tamen nego, plures posse ex iis, quas dixi, caussis in uno eodemque subiecto concurrere; quo vero in casu orietur aut complicatus morbus, aut is, ad quem producendum maxima caeteraque antecellens causa, quin ipsa aegri conditio propria inclinat atque prona est. Num in quibusdam nocuerit secale inundatione corruptum? nescimus, cum pauca eius copia extiterit.

7. Quius morbus cum suae naturae, tum aegri proprietatis respondet. Videtur inde ratio peti posse cum abundantis quandoque in ventriculo bilis, tum inflammatoriae febris, epidemicam illam comitantis. Constitutio forte aëris in causa fuit, quare anginam et pleuritidem præ ceteris obseruauerit *illustris BÖEHMERVS.*

8. Verissime dixit **HIPPONCRATES** (*Aphorism. IV. 70.:* *quibus per febres vrinæ perturbatae sunt, quales iumentorum, iis dolores capitum vel adsunt, vel aderunt.* Quod etiam perturbatae ac confusæ istae vrinæ capitum affectus generatim indicent, alii notarunt. Confer. *REGAE tract. de vrinis* pag. 121 seqq.

9. Historiam phrenitidis bene edoctus (*BÖERHAAVE aphorism. n. 771 seqq.*), plura febris epidemicae momenta intelliget. Enimuero a raptu humorum versus caput, acrique specifico, quod sanguinem corrumpit, plurima huius morbi phaenomena enascuntur.

10. Habitus iste cacheeticus, a morbo relictus, nonne debilitati debetur? Anne eum primis maxime viis, a morbo praegressaque

saque quandoque mala diaeta labefactatis, dare nos oportet? Ita omnino videtur.

II. Cum aegri non raro, vel terrificis lethalibusque signis prodeuntibus, morte elabuntur, alias vero fulgere oxyus moriantur: verissime hinc dixit HIPPOCRATES (l. c. II. 19): *in acutis morbis non omnino tutae sunt mortis aut salutis praedictiones.*

§. V.

E p i l o g u s.

Atque haec sufficient. Quae enim dicenda superesse vide-ri possent, ad explicanda haec illae phaenomena redeunt. Nolui vero his inhaerere, cum vel ex his, quae pathologia tradit, intelligentur facile, vel ex actione acris specifici repeti debeat, quam quidem scio cum ignarissimis.



CLARISSIMO DOCTISSIMO QVE
SCIENTIAE SALVTARIS CANDIDATO
FRANCISCO HERWARTH
ARTIVM LIBERALIVM ET PHILOSOPHIAE MAGISTRO AMPLISSIMO
AMICO SVO SVAVISSIMO

S. D.

IO. CHRISTOPHORVS NIEMANNVS,
ANHALTINVS. MED. CANDID.

*D*issertationem T V A M pro obtainenda salutaris scientiae lau-
rea defendens, vt aduersarii vices in certamine publico erudito
fusciptem, a me petiisti. Quod quidem munus in me delatum,
quo etiam contra GENEROSISSL. ATQVE EXCEL. D. DE
FÜRSTENMÜHL dissertationem, quam summa cum laude de-
fendit, functus sum, lubentissimo accepi animo. Statim enim

cum

cum mibi primum innotuisti, VIR DOCTISSIME! talem TE
 inueni, quem insignis doctrina medica, acumen ingenii singula-
 re, et consuetudinis suavitas adeo commendabant, vt TVVS
 plane esse debuerim. Doleo autem vehementer, quod mibi non diu-
 tius TVA suauissima consuetudine vti liceat, cum TV iam, quo-
 cum amicitiam modo inieram, in patriam dulcissimam redeas.
 Gratulor interim TIBI supremos in arte Apollinea honores.
 Gratulor in primis optimo p^raeceptorⁱ EXCELLENT. D. WI-
 CKE de doctissimo discipulo. Nullus dubito, quin TVA solida
 medicinae scientia generi humano utilissima futura sit. Felices
 aegrotantes, quibus ad tam doctum aequa ac suauem medicum
 configere licet! Redens feliciter in patriam, floreas diu saluus
 et incolmis sisque solatium miserorum aegrotantium. Quod re-
 liquum est, mei etiam memoriam absens conserua sisque persuasus,
 TVAE amicitiae memoriam mibi semper fore gratissimam. Va-
 le. Scrips. Halae Magdeb. d. XII. Febr. CIOCCCLXXII.

PRAE-



PRAE NOBILISSIMO
FRANCISCO HERWARTH
VIRO DOCTISSIMO
AMICO SVO DILECTISSIMO
S. D. P.
IOHANN GOTTLIEB THAV, M. C.
OPPONENS.

Quid agit Silesia patria nostra suauissima? quid metropolis eius, TVAE meaeque deliciae? quid Morgenau amoenissimum? quid denique eius gestatio, qua inter tot literatos, totque Gracias dulcissimas delectabamur? Sic TIBI, mi dilecte HERWARTH, Plinii more, fatus sum, dum TE saluum aduenisse lacraver, dum amplexibus ardentissimis haerereimus cumque amorem nostrum alterutri explicaremus. Incredibile est, quantum ex adventu TVO hauferim gaudium. Sed prob dolor! gaudium illud in moerorem mutatur! Iam tempus effluxum est, quo mibi TVIS frui licuit colloquiis. Iam iterum celeri abhinc properas passu. Quam moleste ego iacturam hanc feram, exprimere non possum. Officium, quod abs me petis, quodque mibi, licet non demandasses, certe vindicasssem, gratissimum quidem mibi est, tum quod magnam ex responsis TVIS capiam utilitatem, tum quod testimonium faciam de suminis in Medicina TIBI collatis honoribus: sed aegerrime simul fero, quod eo citius iacturam TVI patiar, quo citius eo defungar. Dii haec omnia faciunt, faciant etiam velim, ut vel minus de TVA querar absentia, vel paulo post TVA premam vestigia, atque cito TECVM iterum coniungar. Vale.

PICA

D I S S E R T A T I O N I S
DE
CONSTITVTIONE
E P I D E M I C A
HALAE AD SALAM
INQVE EIVS CONFINIIS AN. 1771. 72. OBSERVATA
PRIOREM SECTIONEM

PRAES *F*
D. PHILIPPO ADOLPH

FACVLT. MED. SENIORE ET

ETC.

PRO GRADU D

LEGITIME IMPETI

D. XVII. FEBR. CICIC

PUBLICE DEFENDI

AVCTOR

F R A N C I S C V S H

A. A. L. L. ET PHILOSOPHIA

NISSA-SILESIUS.

HALAE MAGDEBVRG

LITTERIS HENDL

